Oa 93



Jahresbericht

über

das Königliche Gymnasium zu Marienwerder

von Michael 1847 bis Michael 1848.

Womit

zur öffentlichen Prüfung aller Klassen der Anstalt

Donnerstag den 5ten Oktober 1848

ergebenst einladet

der Direktor

Professor Dr. Lehmann.


Vorausgeschickt ist eine Abhandlung des Oberlehrer Baarts: „*L. A. Seneca de Deo.*“

Marienwerder, 1848.

Gedruckt bei Friedrich August Harich.



KSIĄŻNICA MIEJSKA
IM. KOPERNIKA
W TORUNIU



aB 1697.

L. A. Seneca de Deo.

Magnum in literarum studiis inest solatium, magna humanitas. Rerum indagatio, quae in veterum scriptis depositae sunt, earumque unius alicujus vel nostram voluptatem commovens explicatio solatio est in omnibus, praesertim his in concussis temporibus; et facultas, quae his studiis alitur, recte et ex virtutis praeceptis agendi notionesque rerum universas, quas ideas appellant, mente complectendi humanitatis totam vim comprehendit. Atqui quum, quae ethicae vitae quasi fundamenta substrata sunt praecepta, ex ideis pendeant, quae de rerum divinarum humanarumque natura mente foventur: cuique, qui cujusvis gentis vitam sive ethicas vitae conditiones perspicere vult, hoc primum videndum est, ut, quae de Deo, omnium rerum, et quae sunt et quae cogitantur, summo principio ac fonte, ibidem valuerint, notiones et sententias intelligat et dignoscat. Ita quamvis ad studia veterum Graecorum et Romanorum adamanda multo plus afferat incitamenti morum, liberalitatis, aequitatis, quibus maxime viguerunt, quam divinarum institutionum cognitio: illa tamen ex his lucem suam concipiunt, sine eis intelligi non possunt.

Itaque quum ante quinquennium fere ex Herodoti musis, quae apud cujusvis terrae populos de numine divino placita floruere, proposuerim: ex Seneca, quas ejus de Deo notiones cognoverim, ingerere, quaeso, licebit.

Hoc vero inter illum et hunc interesse admoneo, quod ille historica fide quaecunque audivit enarrat, ipse simplicissima mente pius in Deos paternos, hic noster adjuvante philosophandi arte ex industria cognitiones divinas discurrit disceptatque; quod ille aetatis suae fidem acceptat, apud hunc omnia, quae apud veteres Graecos et Latinos cogitata erant de rebus divinis, ut ita dicam, in unum effulsisse et coaluisse videntur. Quid enim? nonne in epistolis suis et Epicurum Stoicus Lucilio suo ingerere? nonne et de Zenone Citiëo, a quo Stoicorum coepit rigida et virilis sapientia et de Zenone Sidonio aliisque illius discipulis, Perseo Citiëo, Erillo, Aristone Chio, Athenodoro Solensi has vel illas pronunciationes ad suas depromere, ut videtur, sibi propositum habebat? nonne apud Sotionem philosophum, qui post Socratem publice desitam illam Pythagoraeorum sectam revocare conatur, puer ille sedit, quem juveni sibi illum Pythagorae admirationem, immo venerationem injecisse nusquam puduerit? Quin etiam ex Cynicorum secta, quos hominis naturam excedere, ut Stoicos vincere, de brev. vit. 24. deprehendit, Demetrium effusa laudatione effert, „quem," inquit,

mihi natura videtur nostris tulisse temporibus, ut ostenderet, nec illum a nobis corrumpi et nos ab illo corrigi posse," virum exactae, licet ipse neget, sapientiae firmaeque in his, quae proposuit, constantiae cf. de benef. VII, 1. Itaque, cum non se cuiquam mancipaverit (ep. 45) nec ullius nomen tulerit, multum magnorum virorum judicio tribuens, ut cum Divo ipso Paullo familiaritatem conciliasse apud Hieronymum et Augustinum legatur: ipsius hujus L. A. Senecae, tanto pectoris calore tantaque sententiarum fagacitate praeclari libris operam navavi meam, ut ex philosophia ejus morali summa principia recognoscerem et Summarii quodammodo fundamenta substernerem. Atqui negat ipse sententias aut chrias e Stoicis excerpendas: „non est admirationi una arbor, ubi in eandem altitudinem tota silva surrexit." Sit ita. At non possum, quin ad doctrinam cujusvis philosophi cognoscendam et limina et tegmina, quibus ille inhabitet, obtuear et, quibus primordiis insistat et principiis exordiatur, observem. Id quod ipse Seneca Lucitio suo, ut utriusque rei et commentariorum et Summarii copiam haberet, ep. 39 se daturum promittit, utinam dedisset! — moralium libros, opus nimirum insigne, et, cum ipse eorum ep. 101 et 109 mentionem fecerit, existimo et lugeo interceptum. Prodeat igitur cum Dei optimi gratia hic libellus, in quo de numine divino philosophi notiones in medio ponam.

§. 1. Pietas in Deum.

Legimus Senecam moralium suis libris de Deo placita praefixisse; et qui hoc dubitari potuerit? Etenim cum omnium primum properandum noster dicat, quo diutius frui emendato animo et composito possimus (ep. 4. 5. 1.): tum „Bonus vir sine Deo, inquit, nemo est." (ep. 41.) et: „hic est magnus animus, qui se Deo tradidit" (ep. 107.); „animum excellentem, moderatum, omnia tanquam minora transeuntem, quidquid timemus optamusque ridentem caelestis potentia agitat." „non potest res tanta sine adminiculo numinis stare." (ep. 41). Adde hoc, quod ep. 83: „Deo nihil, inquit, clusum. Interest animis nostris et cogitationibus mediis intervenit." Ac profecto ex his et similibus et virum vere pium ac dignum agnoscere possis, qui apostolicam familiaritatem meruerit, et philosophum strenuum, qui philosophiae ad bonam vitam et rectam omnia deberi censeret, „nisi ipsam Dii philosophiam tribuissent" (ep. 90). Jamjam haud miror, quod traditur, Senecam hoc maxime sibi propositum habuisse, ut apud suos talis et tantus ad animos emendandos esset, qualem Divum Paullum a suis coli et agnosci videret. Quantis aerumnis communem omnium insaniam animadvertit, quae rem facillimam difficilem faciat (ep. 41)! quanta sagacitate Lyricos istos et dialecticos castigat, similes praestigiatoribus calculariis, quos Graeci ψηφοπαίκτας vel ψηφοκλέπτας vocant (ep. 49. 114)! Quantopere a vanis admonet, in crudelitatem in servos saevientem invehitur, et in vitiosam generis humani consuetudinem, „cujus immensum et incomprehensibile arbitrium est" (ad Helv. c. 11), in impudicitiam et mulierum et virorum (de benef. I, 7. 9. ad Helv. 16). A rebus visibilibus ad invisibiles, a terrae bonis ad summum bonum, ad honestum, ad Deum revocat.

a vanis admonetur.

Pio sane animo, pront paganus erat, ad Deum admonet cum Athenodoro: „Tunc scito esse te omnibus cupiditatibus solutum, quum eo perveneris, ut nihil Deum roges, nisi quod rogare possis palam“ (ep. 10). In Stoicos suos ep. 113 videtur jocari, quibus mundus erat et animal et Deus (secundarius sc. forma rotunda), ideoque in Platonem, cui eidem mundus animal est et Deus, carens auribus et oculis et pedibus, nihil hujusmodi instrumentis indigens. „Tu roga (ep. 10) bonam mentem, inquit, bonam valetudinem animi, tunc corporis. Quidni tu ista vota saepe facias? Audacter Deum roga: nihil illum de alieno rogaturus es.“ et ep. 12: „Crastinum si Deus adjecerit, laeti recipiamus: dummodo inter plausus exoletorum hoc ad symphoniam canatur: *βεβιωται, βεβιωται!*“ et ep. 41: „prope est a te Deus, tecum est, intus est. Ita dico, Lucili, sacer intra nos spiritus sedet, malorum nostrorum bonorumque observator et custos“ cf. ep. 95: Adhortatur per totam 71. epistolam, ut magnus animus Deo pareat: et quidquid universi lex jubeat, sine cunctatione patiatur, et alibi de vit. beat. c. 15: „Sapiens, quidquid evenerit, sciet legem esse naturae, habebit in animo illud vetus praeceptum, Deum sequi.“ Iterumque ibidem: „Quidquid ex Universi constitutione patiendum est, magno excipiatur animo. Ad hoc sacramentum adacti sumus, ferre mortalia. In regno nati sumus, Deo parere libertas est.“ „Primus est Deorum cultus, deos credere: deinde reddere illis majestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla majestas est. Scire, illos esse, qui praesident mundo, qui universa vi sua temperant, qui humani generis tutelam gerunt, interdum curiosi singulorum.“ Itaque quum in Deo et cum Deo omnia agenda et patienda existimet, jamjam philosophiam sufficere desperat et medico opus esse docet. Id quod distincte ep. 109 exsequitur: sapientem sapientis indigere communione et „illud quod dulcissimum honestissimumque est, idem velle atque idem nolle, sapientem sapienti praestare.“ Atque pergit sub finem epistolae: „Cogita, quod soleo frequenter tibi dicere: in istis (sc. philosophicis) nos nihil aliud quam acumen exercere. Toties enim illo revertor: Quid ista me res juvat? fortiorem faciet, justiorem, temperatiorem? Nondum exerceri vacat: adhuc *medico mihi opus est*. Quid me doces scientiam inutilem? magna promisisti: exigua video. Docebas intrepidum fore, etiamsi circa me gladii micarent, etiamsi mucro tangeret jugulum: dicebas securum fore, etiamsi circa me flagrarent incendia, etiamsi subitus turbo toto navem meam mari raperet. Haec mihi praesta tu, ut voluptatem, ut gloriam contemnam: postea docebis implicita solvere, ambigua distinguere, obscura perspicere: nunc doce, quod necesse est.“ Quamvis enim tantum absit, ut, quum se medico indigere noster dicat, divini quoddam numinis auxilium insolitum sive munus supernaturale intelligi velit, ut vere Stoicus nonnisi ipsa virtute sua et voluntate excolenda ad vitam beatam perveniendum esse existimet: verumtamen, si initium ep. 109 cum fine conferas, non tam philosophematis et huc et illuc versantibus nec opinandi sagacitate vel volubilitate, quam ipsa virtute et, ut eadem vera et perfecta sit, communione illa ad recreandam humani generis societatem opus esse docet, qua alter alteri id quod honestissimum sit, idem velle et nolle, invicem sibi praestent et ad vere colendam animi virtutem, ut summum bonum quod in Deo positum sit assequantur, societatem coëant. O mirum virum, qui tanto ratiocinandi

preces in Deum et obsequium

Deorum cultus

medico opus est.

sapientem sapientis indigere communione, quae per vinculum virtutis est.

ingenio praeditus, non tam in istis, quae de rerum origine et natura habentur, ratiocinationibus, quam in animi illa cum Deo communione sapientem virum agnosci judicet! qui ep. 110, dum Stoicos fuisse admonet, qui unicuique nostrum paedagogum dederint Deum, et viris Genium et mulieribus Junonem, ipse omnem nostram conditionem inde pendere censeat, ut diu nihil gaudeamus, ne quid diu timeamus, ut adhibeamus diligentiam et intueamur, quid sint res nostrae, non quid vocentur: ita ut lucescere, si velimus, possit, si quaesierimus de honestis, de turpibus, de providentia!

ταλαιπωρία τῶν ἀνθρώπων.

Qua ex caussa fit, ut toto pectoris calore queratur, quod „ab hac divina contemplatione abductum animum in sordida et humilia pertraximus, ita ut avaritiae serviret, ut relicto mundo terminisque ejus, et dominis cuncta versantibus, terram rimaretur, et quaereret quid ex illa mali effoderet, non contentus oblatis.“ Adjice hoc, quod legis in Quaest. nat. praefatione: „O quam contempta res homo, nisi supra humana surrexerit! Quamdiu cum affectibus colluctamur, quid magnifici facimus? etiamsi superiores sumus, portenta (libidinum sc.) vincimus.“ Vides, quaeso, illam apostolicam *ταλαιπωρίαν τοῦ ἀνθρώπου* vel *ἐκπώρωσιν τῶν καρδιῶν*, vel *πλάνην τῆς ὁδοῦ*. Utinam, quem cum Paullo divo queri oportet: *ταλαίπωρος ἐγὼ ἄνθρωπος! τίς με ῥύσεται ἐκ τοῦ σώματος τοῦ θανάτου τούτου;* etiam cum eodem evincat: *εὐχαριστῶ τῷ θεῷ! νύνι δὲ κατηργήθημεν ἀπὸ τοῦ νόμου, ἀποθανόντες, ἐν ᾧ κατειχόμεθα· ὥστε δουλεύειν ἡμᾶς ἐν καινότητι πνεύματος, καὶ οὐ παλαιότητι γράμματος.*

§. 2. De divini numinis natura, ex iis cognoscenda, quae de necessitudine disserit, quae inter Deum est et sapientem.

At non vidit noster, quod ille, non sapiens, quod apostolus; ideoque haesitabat, haesitabat etiam de ipsa numinis divini natura. Quam cum parem sapientis vel consummati hominis naturae esse statueret, ipse non confidentia illa connitebatur, quacum colendus est et venerandus Deus omnipotens et sanctissimus et mortuos resuscitans. Quae enim scientia Deum aequiparandum statuit homini etiamsi sapienti et consummato, sive ipsam Dei notionem deteriorem reddit, cum homo sit, ex quo Dei, non Deus optimus et beatus, ex quo hominis idea sive notio conspicitur, sive hominem aequipollentem cum Deo et dominum legum moralium et summum rerum judicem censet; et confidentiam animi in verum dominum Deum et regem et judicem summum qui fieri potest, quin deprimat atque comminuat? Jamjam audiamus ipsum. Etenim quamquam in perpulchra illa altaque epistola

Deum habitare in nobis.

41. Deum in nobis habitare et bonum virum sine eo nullum esse tam pie disserit, ut Socratem de daemonio suo praedicantem audire tibi videaris: verumtamen ea ipsa, quae inde ab hac quaestiuncula: „Quis est ergo hic? animus qui nullo bono nisi suo nititur.“ ad finem usque epistolae interponit, nonne illuc spectant eoque vergunt, quo quod ep. 48 et alias his fere verbis exprimit: „hoc enim est, quod philosophia mihi promittit, ut parem Deo faciat?“ quibuscum conferas quaeso ep. 31:

Stoica magniloquentia.

„animus rectus bonus magnus. Quid aliud voces hunc, quam Deum in humano corpore hospitantem?“ et ep. 20: „hoc cura, hoc opta, omnia alia vota Deo remissurus: ut contentus sis temet ipso

et ex te nascentibus bonis. Quae potest esse felicitas Deo propior?" vel ep. 73: „Deus non vincit sapientem felicitate, etiamsi vincit aetate. Sapiens tam aequo animo omnia apud alios videt et contemnit, quam Juppiter." Quin etiam idem ratiocinabundus in Stoicam incidit illam superbiam, ubi audimus hujus magniloquentiae has voces nonnullas: ep. 59: „Sapiens ille plenus gaudio, hilaris et placidus, inconcussus, cum Diis ex pari vivit." et alibi ep. 31: „hoc est summum bonum, quod si occupas, incipis Deorum socius esse, non supplex" et ep. 70: „Solebat Sextius dicere, Jovem plus non posse, quam bonum virum. Plura Juppiter habet, quae praestet hominibus: sed inter duos bonos non est melior, qui locupletior, non magis, quam inter duos, quibus par scientia regendi gubernaculum est, meliorem dixeris, cui majus speciosiusque navigium est." Itaque praeclara quidem sunt, quae praedicat de sapiente Stoicus: eundem sibi parem et semper in gaudio esse pace cum concordia animi et magnitudine cum mansuetudine conjuncta, etiam in tormentis beatum, ep. 66. 74. 67. 104 cum existimet, nullam esse sine labore virtutem, sed quasdam virtutes stimulis, quasdam frenis egere: itaque sapientem esse apathem et imperturbabilem, eique nihil praeter opinionem evenire: sapientes solos inter se amicos, solos amare gnaros. At qui dubitari potest, quin, ubi sapientem Deo parem censet et sapientia et felicitate et potentia, ac supra quod jus et aequum est sapientem exornat, Deo detrahat de magestate? cum hunc non plus pollere quam illum censeat, illum vero sine peccatis esse omniaque recte facere ideoque ipsum sibi sufficere solo se contentum, nec unquam poenitentiam eum subire. de benef. 4, 34, neque ipsum, cum nihil pratermittat, quod debeat, nihil faciat, quod non debeat, itaque poenam, quam exigere debeat, ulli condonare de clem II, 6 et 7. Quin etiam misericordiam vitium dicit: „etsi plerique virtutem laudent et bonum hominem vocent misericordem" de clem. 4 et 5. Quare vitium? quia circa clementiam quidem posita sit, sed extra modum. „Quid autem est? aegritudo animi ob alienarum miseriarum speciem. Aegritudo autem in sapientem virum non cadit." Id quod Cicero inter immania Stoicorum damnat pro Mur. „Fatetur aliquis se peccasse et jus delicti veniam petit? nefarium est facinus ignoscere. At leve delictum est. Omnia peccata sunt paria;" et perpulcre in Caesaris laude locutus est, ubi ait: „nulla de tuis virtutibus nec admirabilior, nec gratior misericordia est"; et ipse Seneca pio animo accomodatius ad Marc. c. 4: „Nec quicquam pulchrius existimo in fastigio collocatis, quam multarum rerum veniam dare, nullius petere."

Deum supra quod jus est homini aequiparat, sapientem effert.

Jamjam, quum talia ac tanta sint, quibus noster quamvis bona mente erraverit, qui fieri potest, quin illud natura consequatur, ut sapiens illi non solum sit solus pulcher, nobilis, liber, civis, rex, magistratus, vates, rhetor, sed etiam qui omnia divina et humana mente complexus sit (ep. 50. 119. de vit. beat. 20: „Quid mirum, si non ascendunt in altum ardua aggressi?" et sqq. ep. 75, ubi tria inter ipsos proficientes discrimina discernuntur; de const. sap. c. 7: „non est, quod dicas, ita ut soles, hunc sapientem nostrum nusquam inveniri" et sqq.) et, si necessitates ultimae inciderint, jamdudum exsiliet e vita (ep. 17). Quamobrem nusquam nisi hoc in loco valebit tragoedi illud:

οὐ γδ᾽ οὐδ᾽ ἀζήμιον
Γνώμην τὴν εἶναι τοῖς σοφοῖς λίαν σοφόν;

(Videsis aliorum Stoicorum ejusmodi placita apud Lipsium diss. manud. II, 8, paradoxon VI, VIII, X et sqq.) Id, quod interest inter Deum et hominem, i. e. majestatem Dei et sapientiae et beatitudinis et potentiae aufert philosophus ratiocinabundus, et, quod unum vinculum homini cum Deo commune est, non detegit, amorem nimirum ex Deo in sapientem effusum sive caritatem eamque sapientem, beatam, sanctam, maximopere potentem, nec poenitentiae nec spei et metui impie praeclusam, nec misericordiae inapertam.

aliter Graeci statuere, imprimis Aristoteles.

Ac profecto aliter principes philosophiae apud Graecos statuere: vel contra est in eorum sapientia, ut, quod inferiores apud Romanos nimis homini tribuerent, illi primores apud Graecos ei nimis detraherent, alii fere aliter errantes. Legimus Platonis illud, ut multa: non ipsum quidem summum bonum veritatem esse, sed ei adhaerere, ut Solem luci: *ἀγαθοειδή* non ipsum *ἀγαθόν.* de Republ. 6. et antea: *οὐδὲν οἰκειότερον σοφίᾳ τὶ ἀληθείας εἶναι,* denique: *ἡγουμένης τῆς ἀληθείας οὐκ ἄν ποτε χορὸν αὐτῇ κακῶν ἀκολουθῆσαι:* atque haec praeclara sane. Qua eadem ratione Aristoteles, ubi antea probus dictus erat, bona quae sibi viderentur appetere et exsequi, idque in partis optimae suae, mentis in gratiam, haec subjicit Eth. N. IX, 4. 4 (ed. Fritsche): *ἕκαστος δ᾽ ἑαυτῷ βούλεται τἀγαθά, γενόμενος δ᾽ ἄλλος, αἱρεῖται οὐδεὶς πάντ᾽ ἔχειν ἐκεῖνο τὸ γενόμενον. ἔχει γὰρ καὶ νῦν ὁ θεὸς τἀγαθόν, ἀλλ᾽ ὢν ὅ τι ποτ᾽ ἐστίν. δόξειε δ᾽ ἂν τὸ νοοῦν ἕκαστος εἶναι ἢ μάλιστα.* Quibus in summa haec docet: bona ad conditionem cujusque apta esse oportere, mutari eadem mutata conditione, ubi in honestis studiis profectus sui dissimilis quodammodo, melior ex bono, evaserit: ipsi deo non idem omni tempore conducturum fuisse, si mutationi esset obnoxius, id quod non est: nam habet etiam nunc (ut olim) deus bonum (immutatum), sed ideo, quia est, quale est cunque numen, quia numen est utique immutabile. (Videsis Fritschium: *Ἀριστοτέλης περὶ φιλίας.* Gissae 1847. IV, 4. 4 in adnnt. ibique plura talia elogia, quae huc spectant). Itaque cum Diis humano modo necessitudinem homines jungere nequeunt. Eth. N. VIII, 7, 4: *δῆλον δ᾽, ἐὰν πολὺ (τὸ) διάστημα γίγνηται ἀρετῆς ἢ κακίας ἢ εὐπορίας ἤ τινος ἄλλου· οὐ γὰρ ἔτι φίλοι εἰσίν. ἀλλ᾽ οὐδ᾽ ἀξιοῦσιν. ἐμφανέστατον δὲ τοῦτ᾽ ἐπὶ τῶν θεῶν· πλεῖστον γὰρ οὗτοι πᾶσι τοῖς ἀγαθοῖς ὑπερέχουσιν· δῆλον δὲ...* Deinde VIII, 14, 4: *τὸ δυνατὸν γὰρ ἡ φιλία ἐπιζητεῖ, οὐ τὸ κατ᾽ ἀξίαν·* (qua in re grandior sane et excelsior Apostolus 1. Cor. 13, 5: *ἡ ἀγαπη οὐ ζητεῖ τὰ ἑαυτῆς*). *οὐδὲ γὰρ ἔστιν ἐν πᾶσι, καθάπερ ἐν ταῖς πρὸς τοὺς θεοὺς τιμαῖς καὶ τοὺς γονεῖς.*

De communione naturarum impermixtarum secundum fidem Christianorum.

Atque ab iis, quae Stoico nostro sunt placita, quam longe distant, quae aeterna lux reapse revelavit! utpote quae communionem revelavit sive *ἕνωσιν* humanae atque divinae naturae in Filio Dei *θεανθρώπῳ,* eam quam Synodus Ephes. a. d. 431. ex doctrinae partibus sanxit, minime vero *σύγχυσιν* illam sive *μεταβολήν,* quam symbolum Chalced. a. d. 452 refutavit reprobravitque. Nam et Filius Dei humanam naturam in unitatem suae personae adsumpsit inconfusam, et eandem humanam nostram naturam Christus redemit, eandem sanctificat, eandem a mortuis resuscitat, et in-

genti gloria ornat; non ita, quasi sapientes in Christo in ipsum sive Christum sive Deum commutentur: sed quod illi in eo sint et ipse in illis Form. Conc. I, 1. 5 et 6; II, 8. 6 sqq. Callida igitur et strenua Cypriani vox: „Quod homo est esse Christus voluit, ut et homo possit esse, quod Christus est.“ Ex recentioribus idem Nitschius sic exprimit: *„Der wahre Christ, das Kind Gottes lebt in Gott und Gott in ihm; hier ist Gottheit und Menschheit wieder vereinigt; aber die Vereinigung ist eine durch Christum vermittelte und auch als solche eine vollendete; er spricht: ich lebe nun, aber nicht ich, sondern Christus lebet in mir. Dies ist eine wahre, eine gültige Analogie der persönlichen gottmenschlichen Einheit des Erlösers.“ Cf. Hülsmann christl. Religionslehre. S.* 50. 70. sqq. 78, 116 sqq. Cf. Ev. Joh. c. 1, 4. 9. 12. Gal. 4, 19. *Harless Ethik* p. 1. et §§. 21—24. Ἐν τῷ λόγῳ ζωὴ ἦν καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων. καὶ τὸ φῶς ἐν τῇ σκοτίᾳ φαίνει. ἦν τὸ φῶς τὸ ἀληθινόν, ὅ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον. ὅσοι δὲ ἔλαβον αὐτὸν, ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν τέκνα θεοῦ γενέσθαι, τοῖς πιστεύουσιν εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ. Cf. Ev. Joh. 17, 5 — 24.

Quantum notiones de similitudine Dei quae est in homine, valeant ad veritatem cognoscendam beateque et recte vivendum.

Constat profecto in omnibus religionibus et ad veritatem cognoscendam et ad recte beateque vivendum de divina in homine consummato similitudine praedicata et placita plurimum valuisse; quibus adscitis sanctisque aut salva Dei majestate et caritate unum omnium rerum Dominum vererentur et sectarentur, aut falsa illa similitudine constituta quum libidini arbitrariae obsequerentur se solis contenti nec ulli nisi sibi obedientes, tum confidentia et fidei vinculo indigerent ipsius sui generis divinam originem et spem futuram ignorantes. Atque noster, quandoquidem unam eandemque virtutem in Deo et sapiente, perfecto nimirum et consummato, esse censet atque divinae naturae cum humana non unionem sed commixtionem statuit, ita ut haec in illam resolvatur, Deum ipsum sub essentiae aeternae et infinitae, ut cum Cicerone hujus verbi auctore loquar, notione lntelllgere videtur, quo ex numine singula, quae sunt, prodeant et in quod omnia revolvantur.

commixtio naturarum apud Senecam.

Etenim dum Seneca ep. 90: „Sapientia (sc. quoad hominem), ait, totius naturae notitiam ac suae tradit“ et ep. 89: „Sapientia est, nosse divina et humana et eorum caussas, quae divinorum humanorumque partes sunt“ cf. Consol. ad. Marc. c. 11: subjicit de provident. c. 1: „Sapiens vicinus proximusque Diis consistit, excepta mortalitate, similis Deo“ et ep. 53 paulo elatius: „Quid inter te et Deos interfuturum sit, quaeris? diutius erunt at mehercule magni artificis est, *clausisse totum in exiguo*. Tantum Sapienti sua, quantum Deo omnis aetas patet“ et ep. 73: „Juppiter quo antecedit bonum virum? diutius bonus est“ et paulo infra: „Quemadmodum ex sapientibus duobus qui senior decessit, non est beatior eo, cujus intra paucos annos terminata Virtus est: sic Deus non vincit sapientem felicitate, etiamsi vincat aetate“ ac demum: „Sapiens tam aequo animo apud alios videt, contemnit, quam Juppiter.“ Quae quid sibi velint, ne dubitari possit, quoniam in opulentia quoddam discrimen inter Deum et sapientem videntur Stoici statuisse ut noster ep. 73: „Plura Juppiter habet, quae praestet hominibus“ et ep. 95: „Scito, illos esse qui praesident mundo, qui universa et sua temperant, qui humani generis tutelam gerunt, interdum curiosi singulorum“: ea quaeso observes ep. 53, ubi: „Est aliquid, ait, quo Sapiens antecedat Deum, ille naturae beneficio,

non suo sapiens est. ecce res magnas habere imbecillitatem hominis, securitatem Dei" Num eodem sensu Homeri illud intelligamus: Ἐρχόμενον ἀνὰ ἄστυ θεόν ὡς εἰσορόωσιν, quod legimus? Mimine. Atqui jamjam apparet, quid Deus fuerit Stoico nostro, quem, quum nulla re praeter aeternitatem et quodammodo potentiam a Sapiente differat, ipsum numen aeternum et indefinitum, sapientissimum et beatissimum esse censeat oportet: atque ita, ut „totum hoc, quo continemur, et unum sit, et Deus sit: et socii ejus, et membra simus" ep. 94, sive: „Totum hoc, quo divina et humana conclusa sunt, unum sit: membra simus corporis magni" ep. 97. Id quod distinctius exhibet in praef. Quaest. natur.: „Quid est Deus? mens universi. Quid est Deus? Quod vides totum et quod non vides totum. Sic demum magnitudo sua illi redditur„ qua nihil majus excogitari potest, si solus est omnia, opus suum et extra et intra tenet. Quid ergo interest inter naturam Dei et nostram? Nostri melior pars est animus: in illo nulla pars extra animum; totus ratio est" ideoque ep. 117: „nec ulla gens usquam est adeo extra leges moresque projecta, ut non aliquos Deos credat." Ex quibus omnibus, ut respiciamus similitudinem Dei supra dictam, siquidem noster de potentia divina fluctuare videatur, hoc certum apparet, quod censet: in consummato viro Deum ipsum apparere eumque verum et solum, sublato omni discrimine inter Deum et hominem praeter immortalitatem et quodammodo potentiam. Sic „in homine, inquit ep. 76, optimum quid est? Ratio: hac antecedit animalia, deos sequitur. Ratio ergo perfecta proprium hominis bonum est" et ep. 65: „Quaerimus, quid sit caussa (sc. materiam formans et quocunque vult versans)? Ratio faciens, id est, Deus." Perpulcra inde quidem illa de consortio hominum cum Diis elogia fluxerunt, quae legimus nat. quaest. praef. „Virtus enim quam affectamus, magnifica est. non quia per se beatum est, malo caruisse, sed quia animum laxat, ac praeparat ad cognitionem coelestium, dignumque efficit, qui in consortium Deo veniat. Tunc consummatum habet plenumque bonum sortis humanae, cum calcato omni malo petit altum, et in interiorem naturae sinum venit. Tunc juvat inter sidera ipsa vagantem divitum pavimenta ridere, et totam cum auro suo terram." At vero Plutarchus cum aliis de hoc sapiente Stoico: ἔστι δὲ οὗτος οὐδαμοῦ γῆς, οὐδὲ γέγονεν, atque similia apud Lips. manud. II, 8. Quamquam Seneca nimia fide quidem, ut videtur, at bona mente errans haec asserit de const. Sap. c. 7: „Non est, quod dicas, ita ut soles, hunc sapientem nostrum nusquam inveniri. non fingimus istud humani ingenii vanum decus, nec ingentem imaginem falsae rei concipimus; sed qualem conformamus, exhibuimus et exhibebimus. raro forsitan, magnisque aetatum intervallis invenitur: neque enim magna et excedentia solitum ac vulgarem modum crebro gignuntur: ceterum hic ipse M. Cato, a cujus mentione haec disputatio fluxit, vereor ne supra nostrum exemplar sit" et ep. 42: „ille alter (primae sc. notae sapiens) fortasse tanquam phoenix semel anno quingentesimo nascitur."

Deus numen aeternum, et sapientissimum et beatissimum et quodammodo potentissimum.

Respicitur ad similitudinem Dei, quae est in homine.

hunc sapientem non nusquam inveniri.

§. 3. Notio Dei ex iis, quae de mundo et natura sunt, elogiis diducta.

At quoniam, quae ex similitudine Dei in hominibus effulgente fluxere, omnia sub uno jam obtutu complectenda videntur, haec fere esse existimo: Deus in sapiente eoque consummato habitans

atque talis, cui sapiens par sit, numen est aeternum, fundamentum omnium, naturam continens, omnia, id est opus suum, et extra et intra tenens et sapientissimum et beatissimum et potentissimum, ratio perfecta et consummata.

Quae qua ratione Deum cum rerum natura numen suum communicare exhibeant, ex iis potissimum apparebit, quae disseruntur de mundo et omnium natura. Ac sicuti supra pluribus in locis de similitudine Dei, quae in homine est, utriusque naturae et divinae et humanae commixtionem sive confusionem Stoicum statuisse cognovimus, ita ut homo in Deum converteretur; sic in iis, quae de mundo sive natura rerum sunt, quamvis secum noster et cum sua ratiocinatione ita pugnet, ut modo Deum caussam facientem vocet modo mundum, modo mentem universi et rationem divinam, modo ipsum hoc totum quod videmus et quod non videmus, divinam naturam cum natura rerum confundere vix evitat. At plura hac in quaestione distinguenda. Primum enim ep. 65: „Duo, ait, ut scis, Stoici nostri esse in rerum natura, ex quo omnia fiant: caussam et materiam: materia jacet iners, res ad omnia parata, cessatura, si nemo moveat: caussa autem, id est ratio, materiam format et quocunque vult, versat, ex illa varia opera producit.“ Cui simplici Stoicorum caussae subjicit in sequentibus Aristotelis triplicem vel quadruplicem, efficientem videlicet, formantem, materialem, finalem; porro quintam, quam Plato adjicit et ipse ideam vocat, qua rerum exemplaria sive figuras Deus intra se habeat, immortales, immutabiles, infatigabiles. Sed rejicit Seneca hanc turbam caussarum, quae aut nimium multa, aut nimium pauca comprehendat; ostendit, primam et generalem caussam esse quaerendam, quae simplex esse debeat; nam et materia simplex est. Itaque ipse cum Stoicis generalem caussam statuit et argumentandi finem facit hunc: „Quaerimus, quid sit caussa: Ratio faciens, id est, Deus. Ita enim quae nunc retuli, non sunt multae et singulae caussae, sed ex una pendent, ex ea, quae facit.“ Eodem spectant, quae legimus de benef. IV, 7: „Quid aliud est natura, quam Deus et divina ratio, toti mundo et partibus ejus inserta.“ et alibi: „vis Deum et Naturam vocare? non peccabis, est enim ex quo omnia sunt“ Mens ergo universi est secundum haec et alia elogia perplura eodem spectantia, quam et Deum noster vocat, quoniam ratio est omnibus inserta, et naturam, quoniam est ex quo omnia sunt.

De caussa efficiente et materia.

divina ratio.

Porro mundum Deum vocari minime vetat, quin etiam totum et quod vides et quod non vides ipsum Deum esse censet; id quod secundum est, quod obtueamur. Ita quaest. nat. II, 45: „Vis Deum mundum vocare? non falleris, ipse enim est totum, quod vides, totus operibus suis inditus, et se sustentans vi sua.“ et ep. 94: „totum hoc, quo continemur, et unum est, et Deus est“ et in praef. quaest. natur.: „Quid est Deus? Quod vides totum et quod non vides totum. Sic demum magnitudo sua illi redditur, qua nihil majus excogitari potest, si solus est omnia, opus suum et extra et intra tenet.“ et ep. 97: „Totum hoc, quo divina et humana conclusa sunt, unum est: membra sumus corporis magni.“ Hic quaerat quispiam, quanam ratione, qui supra Deum rationem sive mentem et caussam universi appellaverit seclusa materia, idem ille, ut videtur, sub notione Dei totum mundum, qui nonnisi communione et materiae et caussae cogitari possit, comprehendat?

natura, mundus, totum.

nonne ipse sibi autor repugnare videtur? videtur sane; at paulo uberius hic mens et sermo Senecae explicanda sunt, qui mundus et natura et totum illud definiantur. Atque de natura primum, ubi talia legimus, quae Consol. ad Helv. c. 8: „Quocunque venerimus, eadem rerum natura utendum est“ et: „duo nos pulcherrima, quocunque movebimur, sequentur, Natura communis et virtus propria:“ apparet, hac dictione naturam significari, quia, ut ait Cicero de nat. deor., mundum omnem continet, eumque tuetur, atque ea quidem non sine sensu atque ratione; ita ut ipsa natura in duas partes divisa sit, „unam, quae efficiat, alteram, quae se ad faciendum tractabilem praestet.“ Quo uno naturae nomine comprehenderunt Deum et mundum, dicuntque alterum sine altero nihil posse, „tamquam natura sit Deus mundo permistus.“ De toto autem, quod τὸ ὅλον nominavere, Stoicos apud Lips. physiol. II. diss. 6 legimus hoc statuisse secundum Zenonem, Ausonium aliosque, esse mundum sine Vacuo; sicut universum, τὸ πᾶν, id quod cum Vacuo infinitum: „universum, corpus non esse; mundum, corpus maximum et optimum.“ Itaque eodem fere sensu cum hac dictione mundum exhibere noster videtur, ubi de toto loquitur: „quod vides et quod non vides totum“ „totum hoc, quo continemur, et unum est, et Deus est“ „solus (Deus) est omnia, opus suum et extra et intra tenet.“ Atque sublata illa distinctione, vocem universi eadem significatione usurpat natur. quaest. lib. II c. 1: „omnis de universo quaestio in caelestia, sublimia et terrena dividitur.“ Restat, ut quae de Deo mundo apud Senecam invenimus, jam adjiciantur. Ac praetermissa nominis origine, quae et Latinis et Graecis ab ornatu est, res inquirenda est et pro Senecae sensu aperienda. Ubi hoc primum obtuemur, quod imagine illa exprimunt, Stoicis valde placita, quam passim usurpant, ut Seneca de benef. 7, 7: „Sic et totum mundum Deorum esse immortalium templum, solum quidem amplitudine illorum ac magnificentia dignum“ et ad Marc. c. 18: „intratura es urbem diis hominibusque communem, omnia complexam, certis legibus aeternisque devinctam, indefatigata coelestium officia volventem.“ cf. ad Helv. 9. At vero mundus non semper suum ordinem tenebit, ep. 71: „Quid enim mutationis periculo exceptum? non terra, non coelum, non totus hic rerum omnium contextus, quamvis Deo agente ducatur. non semper tenebit hunc ordinem: sed illum ex hoc cursu aliquis dies dejiciet.“ Nec enim mundus est caussa, „nam (ep. 65) caussa id est, ratio, materiam format“ et ad Helv. 8: „incorporalis ratio, ingentium operum artifex.“ Ingentium id est totius mundi; et incorporalis ratio, quia mens ipsa Dei est. Regi mundum providentia pluribus probatur de provid. c. 1: „Supervacuum est in praesentia ostendere, non sine aliquo custode tantum opus stare, nec hunc siderum certum discursum fortuiti impetus esse, et quae casus incitat, saepe turbari et cito arietare: hanc inoffensam velocitatem procedere aeternae legis imperio“ et sq. Ex diversissimis mundum compositum esse et tamen omnia ejusdem conditionis esse, cum effectu et natura dissimilia sint.“ nat. quaest. 7, 27: „Non vides, quam contraria inter se elementa sint? gravia et levia sunt, frigida et calida, humida et sicca. Tota hujus mundi concordia ex discordibus constat.“ Ac de ortu et fine mundi haec demum adjiciamus ex nat. quaest. 3, 28 et 30: „At illo tempore solutus legibus, sine modo fertur. Qua ratione, inquis? Eadem, qua conflagratio futura est.

Utrumque fit, cum Deo visum ordiri meliora, vetera finiri. Aqua et ignis terrenis dominantur. Ex his ortus, et ex his interitus est." „peracto exitio generis humani .... iterum aquas terra sorbebit, et rejectus e nostris sedibus, in sua secreta pelletur Oceanus: et antiquus ordo revocabitur. Omne ex integro animal generabitur, dabiturque terris homo inscius scelerum, et melioribus auspiciis natus." Quodsi, quae sunt de mundo, elogia, comprehenderis, habes definitionem Chrysippi: „mundum esse compagem e caelo et terra, et naturis quae his continentur." Civitas dupliciter dicitur, et ipsa sedes, et corpus incolarum; (e diis hominibusque constituta), ita ut communio inter utrasque sit, quia ratione participant, quae naturae lex est. Atque alii Stoici consensu ita: „sentientem mundum, intelligentem, sapientem;" sed ubi illi mundum animal rationale esse dicunt, noster Deum mentem universi, et mundum corpus divinae rationis significare solet. Itaque quum Deum compluribus locis (cf. quaest. II, 45) custodem rectoremque universi, mundani hujus operis dominum et artificem Seneca vocet, hoc ei tribuendum est, quod sibi vult, ubi „Deo omne nomen convenire" dicit. Confundit nomina, suam ipsius vim et significationem unicuique praesumens, quare Augustinus de civitate 7, 6 ita discriminat: „Sicut hominem sapientem, cum sit ex animo et corpore, tamen ab animo dicimus, ita mundum Deum dici ab animo, cum sit ex animo et corpore;" sive mundus non οὐσιωδῶς sed κατὰ μετάδοσιν i. e. secundario tantum Deus appellatur. Atque idem de naturae et universi vocibus liquebit, quatenus utrique certo discrimine vis sua tribuenda est.

§. 4. Quae ex omnibus et de similitudine Dei et de mundo elogiis sequantur.

Attamen omnibus ex iis, quae et de sapiente sive consummato et de mundo sive natura Senecam vidimus disserentem, tantam illum divini numinis cum natura hominum omniumque rerum communionem statuisse apparuit, ut Deus sit et ipsa sapientis ratio ac natura, et omnibus mundi partibus insertus totique mundo permistus. Inde fit, ut secundum philosophi nostri sententiam Deus sit et ipse necessitati rerum obnoxius (ep. 95: „errat, si quis putat, Deos nocere velle: non possunt") et mundus particeps divinae naturae, cujus et socii simus et membra (ep. 94. 97.) Atque quum totum hoc, quo divina et humana conclusa sunt, unum sit et numen divinum toti mundo ejusque partibus permixtum, sequitur, ut aeterna dei vita sive essentia eadem sit, qua omnia utuntur, quae sunt et existunt, ita quidem, ut mundanae res varii modi sint, quibus divinum numen vitam suam aeternam degat et compleat. Itaque et Deus pendet a mundo, ut hic ab illo, neque res, quae sunt, de sua quidquam natura vel agunt vel patiuntur, sed de Deo sunt, quales sunt et omni ex parte et omni modo. Mundus ergo secundarius," qui dicitur, Deus, id est, τὸ ἓν καὶ πᾶν.

Ac profecto haec cum ita sint, videat sibi cum prosperis auspiciis Seneca, quomodo libertatem sapientis, qua sola sapientiam niti censet, servet atque obtineat! At obtinuit eam bono sane genio suo duce, ubi nil nisi salva aequi conscientia sanaque mente pro vero habere constitue-

rat; atque ita obtinuit, ut, quamvis ex altera parte ratiocinatione sua inductus divinam libertatem cum humana confundat, ex altera tamen duce pio suo animo tribuat Diis, quem deceat, honorem, majestatem eorum colendo et imperium reverendo. Ita duco eum vel huc vel illuc confugisse, ne dicam, deflexisse, ut, ubi pio animo coelum omniaque supera suspexerit, non nisi Dominum, omnia superantem Deum, vereretur, ubi autem ratiocinandi impetu provectus sit, et hominem et mundum supra quod jus et aequum est, in societatem divinam paritatemque efferret. Agedum, quum Hylozoismum, quem dicunt, toto pectore fugiat atque reformidet, aut Theismi rationem eum sectari videmus, quod saepe, aut Stoicorum pantheistarum confidentiam obtinere, qua mundum statuunt esse animantem, cujus pars plastica sive formatrix sit Deus; atque, ut Hylozoismum sive Materialismum apud orientales vulgarem fuisse videmus, sic hunc Stoicorum pantheismum idealem, qui dicitur, jam ante apud Timaeum invenimus. Adjice etiamnum, ne quid in antecessum demus, quae de immortalitate animi noster in ambiguum disputat: utrum futurum sit, ut maneat, an statim ad originem sui recurrat (ep. 24. 71.); ut in coelum, ex quo erat, redeat lucidius tranquilliusque inter divina mansurus (ep. 71. 75.), et in meliorem emittatur vitam, quasi portum, ut dies, quem tamquam extremum reformidas, aeterni natalis sit (ep. 102, ad Polyb. 24. 28); an in totum revertatur sine ullo certe futurus incommodo naturaeque suae remiscendus, ut, ubi mors nos consumsit, consumptis nihil restet (ep. 24. 71. 86). Ex qua quidem voce „in totum reverti“ similibusque, quamquam vitandum videtur, quod ipsi nostro displicet, ultimam utpote illam faciem rerum premere, id tamen quod sequitur haud praetermittendum puto, videlicet Senecam eandem, quam Idealistae, essentiam, quae dicitur, intelligere, ex qua omnia prodierint, in quam omnia reditura sint. Quo spectare videtur etiam illud: „Itaque homines quidem pereunt, ipsa autem humanitas, ad quam homo effingitur, permanet: et hominibus laborantibus, pereuntibus, illa nihil patitur“ (ep. 65). Etenim „omnium rerum exemplaria Deus intra se habet, numerosque universorum, quae agenda sunt, et modos mente complexus est: plenus his figuris est, quas Plato ideas appellat, immortales, immutabiles, infatigabiles.“ Uberius autem, distinctius ac cum praeclara sua verborum efficacia de illius rei notione disputat ep. 58, ubi, quamquam attractis superciliis philosophus disputat et fronte rugosa, austeritas tamen rerum ne deterreat legentem, non est quod reformidaverim. At perlegas ipse perpulcram illam quaestionem: nos exhibebimus illud unum: „Essentia (cujus verbi Ciceronem auctorem habeo) *οὐσία, τὸ ὄν*, res necessaria, naturam continens, fundamentum omnium“ et: „Quid ergo erit, ex quo haec (corporalia sc. et incorporalia etc.) diducantur? illud cui nomen modo parum proprium imposuimus, Quod est“ Atque esse sane debet et cogitari illud, quod *τὸ ὑποκείμενον* (subjectum) vocabat Aristoteles; quo quidem sublato, quid tam esset firmum, in quo inniteretur rerum indagatio? et veritatem quaerere quid tum esset aliud atque semper fluctuantia et omnimodo vaga sectari? (Trendelenburg elem. log. Aristot. adntt. §. 9). At quum hoc ipsum *τὸ ὄν* Quod est et caussam amplecti et materiam (v. supra ep. 65) visum sit Senecae, caussa vero simplicissima Deus sit sive ratio in rebus efficiens, tanquam complexus tum legum quum virium rebus insitarum: videndum est,

ne, quod interest inter Dei omnipraesentiam consubstantialem sive impletivam et omnipraesentiam operativam sive *ἀδιαστάσιαν*, *συνουσίαν* proximam, permisceatur et confundatur. Etenim qui Dei rerumque, quae sunt, consubstantialem naturam intelligit, sive praesumens eam, sive deductione ad eam inducens, nonne Pantheismi rationes sectatur, ex quo nec res nec homines quidquam per se vel sunt, vel agunt, vel patiuntur, et Deus ipse non nisi in illis et per illos est vitamque suam aeternam habet et complet? Ac sane infinitum illud numen, quod absolutum vocant novissimi, ultra hunc rerum *κόσμον* omniaque quae perspiciuntur eminens, omni determinationum et qualitatum exclusa successione, et nullis spatii carceribus circumclusum, omnia vi et efficacia sua ferens et movens, Stoica indagandi acies non suspexit sive percepit, nedum cum Deo ipso conferebat. Etenim a Stoicis physica, quae dicitur, de mundo cogitandi ratio obtinebatur, ex qua inter omnes, quas mente complectebantur, ideas caussa efficiens summa potentia mundi ac vis est; quum Aristoteles et Plato, ex quorum sententia universum illud omnium, quae sunt, in *ἐντελεχείᾳ* est, *φιλίαν*, *ἔρωτα* omnium vinculum esse coarguerent. (Trendelenburg logische Untersuchungen T. 2 p. 353 sqq.) At sicuti in poëmate singula relegentes totius operis ideam recognovimus, et ad ejus imaginem auctorem operis, poëtam, fingimus, sive non fingimus, sed fingere studemus: sic totius, qui mente nostra perspicitur, mundi ideam ex eo, quo caussa efficiens omnium et ultimus finis, id est, amor connexa sunt, vinculo perspicientes, in eoque innitentes nonnisi argumentationis quidem indirectae praesidio usi in absolutum illud specimen et infiniti notionem evehimur.

Ita, quod apud Homerum videmus, Deos eum ita sibi finxisse, ut, quoad conscientia sua divinae majestatis, eaque omnibus hominibus insita, duceretur, eos ad summam perfectionem cognosceret omniaque humana superantes intelligeret; quoad vero ex humanarum rerum ratione ac similitudine Deos cum poëtica suae mentis facultate effingere studeret, eos juxta vel infra humanam debilitatem etiam vitiorum malorumque participes fingeret: sic philosophus pius, ubi mentibus inhaerentem et nescio quomodo innatam Dei notionem aspectat animadvertitque, cum intimo ac firmo conscientiae assensu eundem fere, quem nos, omnipotentem omniaque humana superantem Deum profitetur; ubi vero ad mundi humanarumque rerum rationem eum perspicere sive inductione sive deductione studet, in confusionem divinae humanaeque naturae quin incidat, animi pietas prohibere vix potest.

§. 5. Dei proprietates.

At est Deus et caussa efficiens et ratio faciens, unde illa natura consequuntur, quas cum Stoicis Seneca in Deo ponit proprietates. Ipsius enim Dei unius tot appellationes esse possunt, quot munera. Quaest. nat. II, 45: „Vis illum fatum vocare? non errabis, hic est ex quo suspensa sunt omnia, caussa caussarum. Vis illum Providentiam? recte dices, est enim cujus consilio huic mundo providetur. ut inconcussus eat et actus suos explicet. Vis naturam vocare? non peccabis,

